

averterit, aut inter ipsius molestias pro celestis dispositionis ordine¹ sue attulerit remedia pietatis.

Sane, christianissime princeps, de huiusmodi providencia salvatoris datum esse speramus et de ipsius clemencia diebus hiis malis et magnis credimus preparatum, ut vos in salute fidelium poneret et quasi murum pro domo sua Israel² et vallum sancte fidei stabiliret, quatinus inter fulminantium tribulacionum pressuras super brachium vestrum capud reclinet sponsa Christi³ et fidelium mater ecclesia, et que fidelem genuit sponso filium, fortem et constantem pro se et suis inveniatur adiutorem.

Quapropter sinceram concipientes de regia serenitate fiduciam, excellenciam vestram sicut possumus exoramus, quatinus sanctam Anthiochensem sedem, que apostolice sessionis in beato Petro noscitur meruisse principium, qua competit reverencia venerantes, ipsam cum personis et bonis eius sic habere velitis sub proteccione benignitatis regie commendatam, ut pro vestra salute ac regni vestri conservacione ipsius operis sanctimonia propiciabiliter intercedat, nosque de precum exaudicione regali magnificencie teneamur in Christo domino ad gratiarum sinceras et multiplices acciones.

III. (Ottobonus, Cardinaldiakon von S. Adrian), schreibt an Richard, erwählten römischen König, dass er sich durch dessen Vorwürfe nicht getroffen fühle; er weist auf seine Bemühungen bei dessen Wahl zum römischen Senator hin und ermahnt ihn, seine Ankunft in Italien zu beschleunigen. (Viterbo. Mai, Juni 1261).

Admiracionis vestre celebritas, qua regii nominis vestro ingenio non palpata, sed ad ymum defossa truncacio nos equidem inpulit, sed tanquam insontes et bene conscios non evertit, qualiter apud vos nostre munimenta veritatis obiecerit, destinatas vobis litteras nostras vestris credimus conspectibus indicasse⁴. Utrum autem puritas excusacionum vestra sic prevaluerit introire precordia, sicut latendi locum apud mentem vestram extorte culpe querimonia non invenit, ignoramus inviti, et usque dum excusacionem nostram in vestro rescripseritis beneplacito con-

1) 'ordinem' Hs.

2) Ezech. 13, 5.

3) Aehnliche Wendungen finden sich unten in dem andern Briefe an Ludwig v. Frankreich n. VI.

4) Der erste Satz ist entweder sehr gekünstelt oder irgendwie verderbt.